

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10



23

Pr. 12 num. 2

I. N. D. N. I. C.

DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA

21

De

1650, 6.

POLLICITATIO.
NIBUS.

21

1650, 6.

Quam

PRÆSIDE, ET AUXILIANTE,
MAJESTATE DIVINA.

Auctoritate, & Decreto

MAGNIFICI, ET NOBILISSIMI,
RECTORUM, INCLYTÆ HUIUS
ACADEMIÆ, COLLEGII:

Pro Summis, in utroq; Jure, honoribus, & privilegiis

DOCTORALIBUS,
rite, ac legitimè consequendis,

Ventilandam, publicè, & solenniter proponit

Ad Diem 4 Mens. Januarij.

CHRISTOPHORUS CASPARUS,
ESSLINGENSIS.

o(s)o(s)

ARGENTORATI,



Typis excudebat JOHANNES Pichel/ Typogr.

Anno M. DC. L.



Amat S. 1.
15

VIRIS

*Nobilibus, Amplissimis, Consultissimis,
Doctissimis, Prudentissimis,*

DOMINIS

CONSULIBUS, ET
SENATORIBUS, LIBERÆ
IMPERIALIS REIPUB.

ESSLINGENSIS,

Patriæ Patribus Fidelissimis.

Ut &

*Excellentissimis, Praclarissimisque
Jurisconsultis,*

DN. JOH. CUNRADO Kreidenmann/

DN. PHILIPPO Knipschildt/

*Ejusdem Reip. & Equestris, ad Nicri oram,
Suevicæ Nobilitatis, Ordinis, Consiliariis
Dignissimis.*

*Patronis, Promotoribus, & Fauto-
ribus suis maximis,*

*Exercitium hoc Academicum, secundum,
& ultimum, submisè offert*

Eorum

Cliens observantissimus

Christophorus Casparus.





PROOEMIVM.

TUs nostrum, rebus publicis, præ pri-
vatis plura concessit privilegia, inter quæ etiam
est, quod iis, non item privatis, pollicitationes
fieri queant: quam materiam pro disputatio-
ne inaugurali mihi elegi pertractandam, quòd ut iusto fiat
ordine, quo nihil vel ad docendum discendumve aptius
est *Magnificus Dn. D. Tabor, patronus, fautor, & Præceptor
summo observantia cultu prosequendus. Element. disp. 3. princ.*
methodum hætenus traditam, & à Collegio Argenti-
nensi in præfat. tom. 1. de optima nota commendatam,
insequi, remque præmissis definitionibus, nominali sc. &
reali, tum etiam divisione, per causas examinare, inde ad
effectus qui à causis resultant procedere, & postremùm
quæ ejus sint affinia, & contraria indicare optimum du-
xi, pono itaque bono cum DEO

THESES. I.

Definitionem nominalem quod attinet, complectitur
illa uti notum est. Etymologiam, Homonymiam, Synony-
miam & Paronymiam.

Derivatur autem pollicitationis vocabulum à pollicitando, seu
pollicendo, quod alij à posse & liceri, vid. *Wesemb. π. ff. h. t. n. 1.* alij
à dictione Græca πολυ seu multum deducunt, quasi polliceri idem
significet, quod multum aut res multas liceri, metaphora deducta
ab his, qui res in forum deferunt, & proponunt venales omnibus,
atque ultrò offerunt, & licentur, seu subjiciunt auctioni & vendi-
tioni. Licere enim quandoque significat in licitationem ponere, &
subjicere auctioni *Comm. lib. 5. cap. 8. n. 1.* Nam Latini verbo πολυ
tanquam suo in compositionibus verborum utuntur, ut cum di-

A

cunt

rus.



cunt pollere, polire, & polluere, quasi valdè luere, & multo luto aspergere & contaminare. *Calvin. Lex. Iurid. ad verbum pollicitatio. p. m. 685. num. 50.*

II.

Est autem pollicitationis vocabulum æquivocum, & interdum latè & impropriè pro qualicumque promissione accipitur, *l. 3. C. de donat. ante nupt. l. 1. §. pen. de Collat. dot.* Interdum verò propriè & specialiter pro nudo & spontaneo offerentis promisso, qui benignè Reipublicæ se facturum pollicetur, quæ significatio est hujus loci. *v. l. 3. pr. h. t. Wesenb. w. ff. eod.*

Appellatur pollicitatio etiam liberalitas, *l. 1. §. denique. 5. h. t.* item gratia *l. 8. donatio l. 13. §. 1. promissum l. 3. d. t.* Et is qui pollicetur, promittere etiam dicitur. *l. 1. §. 1. 2. 5. h. t. vovere l. 2. pr. §. 2. pollicitationem facere, l. 3. l. 6. princ. l. 8. l. 9. donare, arg. l. 13. §. 1. Pollicitator ipse, donator quoque vocatur, l. 9. eod. hæc de definitione nominali, sequitur realis.*

III.

Definitionem realem Dd. desumunt ex *l. 3. pr. h. t.* ubi dicitur offerentis solius promissum: Sed cum Jurisconsulti eam statuunt definitionem optimam, quæ quidem brevis, *vid. Ioh. Arnold. Corvin. in præfat. ad Posthum. Pacian.* attamen in quantum fieri potest omnes causas complectitur. non incommodè sic definiiri poterit, quod sit solius offerentis promissum, spontè, & ob causam factum DEO vel Reipublicæ in re qualibet. *d. l. 3. l. 6. §. ult. l. 8. l. 1. pr.*

IV.

Definitionem excipit divisio, quæ duplex: pollicitatio Jurisgentium, & Legitima. Illa est, quæ legis confirmatione destituta, nullam civilem obligationem parit, qualis est omnis pollicitatio haud singulariter lege confirmata, v. c. si fiat privato, cui polliceri non posse exinde patet, quia omnia exempla, quæ in tit. ff. de pollicitat. proponuntur, loquuntur de promissione facta DEO & Reipublicæ vel civitati, & cum nudum pactum non sit efficax ad inducendam talem obligationem, ex qua actio nascitur *per l. 7. §. 5. de pact.* quod tamen est duorum in idem placitum consensus, *l. 1. §. 2. eod. l. 3. pr. h. t.* multo minus pollicitationis is erit effectus, quæ in unius, & solius offerentis consistit promisso *d. l. 3.* nisi specialis alicujus legis adminiculo innitatur, quemadmodum pactum lege confir-

confirmatum talem producit obligationem ex qua actio nascitur.
l. 6. ff. de pact. quæ legitima dici potest. arg. d. l. 6.

V.

Est ita que pollicitatio legitima, quæ lege aliqua confirmata efficacem obligationem parit *d. l. 6.* etiam in hæredes, *l. 2. in fin. l. 6. princ. l. 10. h. t.* Quæ iterum duplex: Votum, & Pollicitatio in specie sic dicta: nec enim novum est, idem verbum & generis nomen esse, & speciei, ut adoptionis, & cognationis nomina evidentè probant. *l. 1. ff. de Adopt. l. Iurisconsultus 10. §. 2. de grad. & affinit.*

VI.

Votum est pollicitatio legitima à patrefamilias DEO facta, *l. 2. §. 1. h. t. v. c. si quis rem mobilem, vel se moventem, vel etiam bonorum suorum partem, puta decimam, d. l. 2.* DEO, personæ Martyris, Prophetæ, aut Angeli tanquam ipsi postea oratorium ædificaturus polliceatur. *arg. l. 15. C. de SS. Eccles.* Pollicitatio legitima in specie ita dicta, est quæ fit Reipublicæ, *l. 1. princ. h.* vel civitati, *l. penult. eod.*

VII.

Definitiones & divisionem sequuntur causæ. Et quidem primò causa Efficiens ponitur à Coll. Argent. *thes. 3. h. t.* ratio & æquitas naturalis, quam pollicitationis causam impulsivam esse dicimus, & quæ moverit nomothetam, ad legem hanc ferendam *per l. 3. §. 1. h. t.* Causam verò Efficientem remotam ponimus ipsam legem, nam ut actio ex ea oriatur, necesse est habere assistentiam legis, quemadmodum jam supra *thes. 4.* est ostensum. Causam Efficientem proximam constituimus, oblationem, cum neque provocati, neque interpellati sponte nostra nos ex abundantia quadam liberalitatis offerimus.

VIII.

Causa materialis duplex, vel Subjectiva vel Objectiva. Possunt autem pollicitari omnes, qui non prohibentur, cum pollicitatio sit de genere permissorum, non tantum masculi, sed & femininæ. *l. 6. l. 2. h. t.* modo sint puberes & sui juris, *l. 2. §. 1. eod.* nam filii familias vel servus sine patris dominive authoritate voto non obligantur, ut dicitur *d. §. 1.* Ratio hujus est, quia quicquid

servus vel filiusfamilias acquirunt, id iis in quorum sunt potestate acquirunt *per princ. l. per quas person.* Idque verum est etiam si peculium habeant, cum ex eo nihil donare queant. *l. 28. §. 2. de pact. l. ult. princ. de novat. l. 7. pr. de donat.* nam non idem peculij administratio eis conceditur, ut perdant, *d. l. 7.* pollicitatio vero est species quaedam donationis. *l. 13. §. 1. h. t.*

IX.

Limitantur tamen superius dicta in peculio filiifamilias castrensi, vel quasi in specie ita dicto, quod omnino liberis acquiruntur, ita ut in illis pater nec proprietatem, nec usumfructum habeat. *l. 6. pr. C. de bon. qua liber. §. 1. l. per quas person.* nam filiifamilias in castrensi peculio vice patrumfamilias funguntur. *l. 2. ff. ad Scutum Macedon.* Item in peculio adventitio, quod plenum vocant, quod itidem filiofamilias tam quoad proprietatem quam usumfructum acquiruntur. Referuntur autem ad peculium istud i. ea quae filio vel filiaefamilias à Principe vel Augusta donata sunt. *l. 7. C. de bon. qua liber. 2.* Si filiusfamilias invito patre hereditatem vel legatum agnoverit. *l. ult. princ. C. d. t. 3.* Si filiusfamilias cum patre successit fratri suo ex utroque latere conjuncto. *Novell. 118. cap. 2. 4.* Si servus filio ita acquisitus fuit, ut eum statim manumittat. *l. ultim. §. fin. C. de bon. qua liber. 5.* Si parentes non iusta ex causa divortium faciunt, bona enim eorum ex triente cedunt monasterio, & res qui super est, pleno jure cedit liberis. *Novell. 134. cap. 11. 6.* Si pater usumfructum remiserit filio, cujus est proprietas. *l. 6. §. 2. de bon. qua liber. 7.* Si mater vel avus aviaque ex materna linea nolit patrem usumfructum habere. *Novell. 117. cap. 1. vid. C. A. lib. 38. tit. 16. thes. 24. 28. & 29.* & qui ex eo, excerpit *Amplissimum & Consultissimum Dn. D. Biccium, Praeceptorem & patronum summè colendum in tractatu Rerum quotid. sectio. 1. thes. 10. lit. m.* Limitantur tertio, si filiofamilias adeo peculij libera administratio concessa, ut etiam nominatim adjectum sit à patre, se ei concedere, ut donare quoque possit. *d. l. 7. §. 12. de donat.* argumentum enim à donatione ad pollicitationem validum esse, satis patet ex antea allegat. *§. 1. leg. 13. h. t.*

X.

Cum autem materia subjectiva ambitu suo non tantum personas qui, sed etiam quibus pollicitationes fieri possint, completatur,

statum, jam supra thes. 4. demonstratum est, ea non nisi D e c vel Reipublicæ fieri permitti: Possent tamen etiam universitatibus, seu collegiis licitis, item pauperibus alicujus loci, pollicitari, volunt Interpret. in Rubr. de Verb. Oblig. argum. l. 19. & ult. C. de SS. Eccles. etiam si expressa lege cautum id non reperiatur.

XI.

Materia Objectiva, sunt Res, & Facta. Res, mobiles, immobiles, & se moventes. l. 1. princ. l. 6. §. 1. & ult. h. t. l. 34. §. 1. C. de donat. l. 15. C. de SS. Eccles. Corporales & incorporales, d. l. 6, §. 1. l. 14. l. 10. eod. l. 34. §. 4. C. de donat. Singulares, vel universales, l. 2. §. 3. l. 1. §. 5. h.

Facta, veluti si quis opus Reipublicæ facturum. l. 1. princ. Statuam Principi positurum, l. 6. §. ultim. Certamen patriæ editurum, l. 10. h. t. pollicetur. Brevissimis, quæ res donari, eadem pollicitari posse statuimus. arg. l. 13. §. 1. h. t. In pollicitationem ergò non veniunt, 1. bona aliena l. 27. §. 2. de donat. 2. Ususfructus §. 3. l. de usufruct. l. 66. in fin. de iur. dot. 3. Emphytensis l. 3. de iur. Emphyteut. 4. Feudum t. t. 55. l. 2. Feud. cum ea omnia donari etiam prohibeantur. dd. ll.

XII.

Causa formalis itidem duplex: Substantialis & Accidentalís. Ad Substantiam pollicitationis requiritur, 1. Ut fiat ob causam aliquam certam, unde intelligi possit promissum deliberatum esse. l. 1. §. 1. h. t. Wesenb. π. eod. num. 2. Voce causæ intelligo non internam aliquam, materialem, vel formalem, quemadmodum vocabulum istud accipi, in l. 7. §. 24. de pact. docet Magnificus Dn. D. Tabor part. Element. 2. sect. 3. in ^{exb.} thes. 40. Sed externam, finalem scil. vel impulsivam. qualis est 1. si quis ob honorem suum, vel alienum promittit, aut magistratum vel sacerdotium decretum sibi decernendum ve l. 1. §. 1. l. 9. l. 14. h. t. Quamvis enim ambitus crimine carere non videatur, qui pecuniam magistratus consequendi causa dat, vel promittit l. 1. Ad L. iul. amb. longè tamen aliud est polliceri Reipublicæ, & pacisci cum administratoribus civitatis, nam tunc esset contractus reciprocus innominatus, do ut facias, qui reprobatus est honoris adipiscendi causa. vid. Novell. 8. cap. 1. & 7. Novell. 161. 2, Si ob casum fiat, quem Respublica passa est,

est, veluti propter incendium, terræ motum, aut ruinam, quæ ei contigit *l. 4. l. ob casum 7. h. t.* Vel 3. ad certamen quidpiam pollicitatur aliquis *l. 10. h. t.*

Secundum requisitum est ut pollicitatio sit spontanea *per l. 8. h.* Si ergò alicui Respublica necessitatem imposuit, *v. c.* Statuam Principi ponendam, qui eam ultrò non promississet, non necesse ei obtemperare, jam olim tescriptis Impp. constitutum fuisse, testatur Ulpianus *in l. 6. §. ult. h. t.* An verò ad formam pollicitationis pertineat, ut quis præsens promittat, quæstionis est. Et quamvis quas in partes ire debeam diu hæsitaverim, idque ob *l. 2. de pact. l. 13. C. de donat.* Etiam in eo differentiam ponat Wesenbec. pacti, & pollicitationis, quòd hæc per absentem etiam, illud tantum per præsentem fieri possit *π. ff. de pact. num. 2.* tamen cùm videam & Cujacium in Ulpinianum *ad l. 8. h.* negativam lectionem approbare, etiam Colleg. Argent. consentiat *thes. 3. h. t.* eandemque sententiam præceptores meos observantissimos fovere sciam, nefas duxi ab iis dissentire, maximè propter *l. 3. princ.* Ubi pollicitatio offerentis promissum describitur, quod verbum præsentem pollicitationem fieri significat *per l. 13. §. 8. ff. de act. empt. l. 28. §. 1. de administ. tut. l. 13. §. 6. de re militar. l. 1. C. de Siccar. l. 4. ff. de re jud.* Quæri etiam potest, an quemadmodum donatio summam excedens 500. aureorum insinuatione indiget *per l. ult. C. de donat.* Sic etiam pollicitatio ultra prædictam summam facta insinuanda sit? id quòd intrepidè asserimus *per l. 35. §. ult. vers. tantoque magis. C. de donat. ad quem vid. Colleg. Argent. thes. 13. num. 2. de donat. l. 19. C. de SS. Eccles.* ubi publicatio donationis, etiam ad pias causas factæ desideratur, quarum tamen non minor est favor, quàm ipsius Reipublicæ, & cùm ea semper locum habeat, casibus quibusdam exceptis, quos refert *Excellentissimus Dn. D. Biccus aur. sect. 3. thes. 52.* in iis autem pollicitatio non contineatur, sequitur regulam in casibus non exceptis confirmari, secundum communem Doctorum.

XIII.

Cæterum quod dictum est, pollicitationem sine causa factam non valere, patitur exceptionem, videlicet quando is, qui sine causa opus aliquod, aut certæ pecuniæ summam promissit, opus jam facere cœpit, aut pecuniæ partem solvit, *l. 1. §. 2. h. t.* quando verò quis cœpisse censeatur, explicatur *§. 3. 4. 5. d. l. 1.* Ratio ejus esse

esse potest, quia pollicitatio in efficax ob defectum causæ, efficax redditur, si opus cœptum fuerit, aut pars pecuniæ soluta: nam operis inceptio & partis solutio incipiunt esse loco causæ, & tradendo solvendoque incipit obligatio, quæ antea non erat, etiam respectu ejus, quod factum non est, aut solutum. Idque in tantum verum est, ut etiam si, postquam quis opus facere inchoavit, relegatus fuerit, tamen ne minuere quidem gratiam oblatam possit, cum illud absens & per amicum perficere queat. *l. 8. h. t.*

XIV.

Forma Accidentalisis est, quod interdum sit conditionalis pollicitatio, ut si, v. c. mulier certamen patriæ suæ pollicendo, sub hac conditione pollicita est, ut fors apud eam remaneat, & ipsa usuras semissales ad præmia certantium resolvat, i. e. senos aureos in centenos quotannis pendat, ut ex Cujac. Gothofred. annotat *ad l. 10. h. t.* vel agonotheatâ & præside viro & deinceps liberis ex ea nascituris certamina fiant, quibus conditionibus mulierem nomine Septiciam certamen promississe memorat Jctus Modestinus *d. l. 10.*

XV.

Debet tamen auctor pollicitationi tales condiciones apponere, quæ Reipublicæ utiles sunt, vel ad minimum non damnosæ. Si ergo, v. c. tali sub conditione quis donat Reipublicæ, ne solitum vectigal exerceat non attendetur. *arg. l. 13. §. 1. h. t.* valde enim interest Reipublicæ vectigalia exercere. Sed an pollicitatio prædicto modo facta, puta tali sub conditione, quæ Reipublicæ damnosa est, omninò invalida sit, an verò pro non adjecta habeatur conditio, & perinde sit ac si purè pollicitum fuisset, quæritur? quod affirmandum esse puto, ob favorem Reipublicæ, cujus intuitu pollicitationes Jure Civili valere cœperunt, idque etiam inde probari potest, quia in *d. l. 13. §. 1.* non donationes, sed condiciones ipsis appositæ ratas habendas esse, negatur. Sic quamvis impossibilis conditio (sive naturâ talis, veluti si digito cœlum tetigeris. *§. 10. 1. de inutil. stipulata.* Si vno die, v. c. Venetiis Romam iveris, *Cuiac. ad l. 35. de Verb. Oblig.* Sive jure, veluti quæ est contra leges vel bonos mores. *l. pacta. 6. ubi Donell. C. de pact. l. non dubium 5. C. de legibus. l. 7. §. ait Prator 7. §. Et generaliter 16. l. si unus 27. §. pacta quæ turpem 4. ff. de pact. ut si sororem quis duxerit uxorem, d. l. 35. §. 1. Verb.*

Verb. Oblig. Si homicidium vel aliud flagitium commiserit, l. 23. d. t.) conventionem vitiet. l. 7. de *Verb. Oblig. d. §. si impossibilis* 10. l. de *inutil. stipulat.* addita tamen pollicitationibus, illis non officere quo minus valeant, asseri posse cenfeo per l. 10. h. t. illa verba: *Quo casu certaminis editio licita est, formam pollicitationi datam servandam esse.* & l. 13. §. 1. *cod.* hęc quoad formam, sequitur finis.

XVI.

Finis vel ultimus est vel intermedius: Finis ultimus pollicitationi idem est, qui donationi, liberalitas scil. & munificentia. Intermedius varius est pro diversitate objecti, cui pollicitationes fiunt, v. c. ædificiorum aliarumque structurarum, incendio, terræ motu, interitarum, refarcitio, favoris populi conciliatio. *argum.* l. 3. 4. & 5. *hlt.* Causa Impulsiva, sunt illa ipsa ædificia casibus prædictis diruta. Et quo quis facilius honorem sacerdotium scil. vel magistratum consequatur, *dd. legibus.* Hęc de causis, progrediendum nunc est ad effectus, quos causæ producunt.

XVII.

Est autem Effectus vel primus, vel à primo ortus: Effectus primus, alius est à parte promittentis, alius à parte, ut ita dicam donatarij. A parte promittentis est obligatio passiva ad præstandum id, quod pollicitum est: nam non statim atque quis promittit, rei dominium transfertur. l. 12. §. *ult. h. t.* nec res ipsa, sed persona pollicitantis aut voventis obligatur. d. l. 2. *princ.* quemadmodum donatione facta, dominium, nonnisi cum traditione conjuncta, transit *arg. l. 20. C. de pact. Magnificus & Consultissimus Dn. D. Tabor disput. Element. part. 2. thes. 9. in 2o. Amplissimus & Excellentissimus Dn. D. Biccus in aureis antea laudatis, sect. 3. thes. 81.* Tradita ergò re (quod fit vel vera traditione, si pecunia promissa, sin opus, adsignatione l. 1. §. *ult. h. tit.*) demum dominium transfertur, nec donator à municipibus aut aliis in quos facta est pollicitatio, amplius vindicare potest, sed à petitione repellitur, æquissimum enim est, ut ait Jurisconsultus Ulpianus hujusmodi voluntates in civitates collatas pœnitentiã non revocari. l. 3. §. 1. quin etiam si postea amittant municipales possessionem, tanquam domini à quolibet vindicare poterunt. d. §. 1. A parte donatarij est obligatio activa, qua ligatam & obstrictam habet personam promittentis, ut
stet

l. 23.
ro. l.
ficere
: Quo
rvan-

stet promissis, quæ si opus perficit, idque modo antea indigitato tradit, liberat se ab obligatione nec et si casum aliquem postea patiatur, amplius tenetur. *l. 1. §. ult. h. t.* Sin verò sese opponit, & promissum opus facere recusat, intentare potest donatarius actionem, eaque compellere donatorem, ad pollicitationem solvendam. *arg. l. 1. pr. l. 5. l. 8.* Unde effectus ortus.

XVIII.

Est itaque Effectus ortus, actio, sed qualis? cùm hæc obligatio lege nova introducta sit, nec cautum eadem lege, quo genere actionis experiamur, ex lege agendum erit. *l. un. ff. de condict. ex leg.* Nascitur ergò actio, quæ condictio ex lege vocatur *per Rubric. d. tit.* Competit verò municipibus civitatis ejus, cui pollicitatio facta. *l. 3. §. 1. h. t.* vel si Reipublicæ donatum est, ejusdem civibus, *argum. d. §. 1.* Quia verò quod universitatibus debetur, singulis non debetur, nec quod debet universitas, singuli debent. *l. 7. §. 1. quod cuiusque nniversit. & per consequens petere singuli nihil possunt, nec à singulis peti, necessarium est, ut hujusmodi universitates Syndicum vel Actorem constituent, qui eandem repræsentet, quò experiri queant. • Wesenb. π. ff. add. tit. n. 8. fac. l. 8. h. t.*

XIX.

Datur hæc actio adversus pollicitatorem, ad se obligandum ex promisso habilem. *l. 2. §. 1. h. t.* tum etiam adversus hæredes, suos, & extraneos. *l. 6. princ. l. 9. h. t. l. 2. §. ult. eod.* Non competit ergò 1. adversus filium familias, vel servum, qui sine patris dominive auctoritate se obligaverunt. *l. 2. §. 1. 2.* Non datur adversus impuberes. *d. §. 1.* Cùm ne tutoris quidem auctoritate donare quicquam valeant. *argum. t. t. ff. de Reb. eor. qui sub tut.* Sunt etiam alij qui donare & ita pollicitari prohibentur, quos recenset *Colleg. Argent. de donat. thes. 5.* Venit in hanc actionem regulariter id quod promissum est, *l. 1. princ. l. 6. h.* Et si mora fuerit facta etiam usuræ. *d. l. 1. princ.* Sed non inconvenienter hîc quæritur, quando mora fieri censeatur, item quales usuræ currant moranti? Et videtur distinguendo rem esse decidendam. Aut enim pollicitator certum præfinivit tempus, quo se opus facturum pollicitus est, intra quod tempus nisi fecerit, semisses protinus solvere tenebitur, tum ipse donator, tum quoque hæres ejus *argum. l. 5.*

B

princ.

princ. de oper. publ. aut nullum determinavit tempus, quo casu à Præside tempus statuitur, quo spatio si vel ipse promissor, vel hæres ejus, opus facere neglexerunt, usuras leviores intra sex menses, id est, usque ad tertiam centesimæ, seu quatuor in centum pendent. *l. 17. §. ult. ff. de usur. ubi Gothofred. in not. lit. c.* hoc tempore præterito, nec dum opere perfecto, usuras semisses solvere cogentur. *arg. d. l. 5. pr. d. l. 17. §. ult.*

XX.

Non tamen semper in solidum conveniri potest donator, vel etiam hæres ejus, sed interdum diminutioni locus est. *l. 6. princ. b. t.* Et quidem in persona donatoris locum habet diminutio, si is ad inopiam redactus, quo in casu ex promissione operis cœpti, quintam partem patrimonij sui debet, *l. 9. b. t.* In persona hæredis, si scilicet bona promissoris liberalitati non sufficiunt, distinguendum est.

Promissio enim facta est vel ob	Honorē, quem promissor jam vel	Iniiit, quo in casu hæres in solidum tenetur. <i>l. 9. b. t.</i> nec minuitur pollicitatio, sed æris alieni loco habetur. <i>l. 6. princ. & quasi debitum exigitur. l. 3. princ. b. t.</i>	Suus & ex numero liberorum (sub quo ex benignitate juris continetur etiam nepos ex filia. <i>l. ult. b. t.</i> qui regulariter in numero liberorum non est. <i>§. ult. Inst. de putn. potestat.</i>) quo casu aut perficere tenetur opus, aut decimę partis hæreditatis concedendæ necessitate afficitur. <i>l. 14. b. t.</i>
	Antequam iniiit, decessit, quo casu rursus vel	Inchoatū est opus promissū & hæres est vel	
		Non est inchoatum quo casu omninò conveniri nequeunt. <i>l. 11. b. t.</i>	
		Causam aliam, ubi semper locum habet diminutio in persona hæredis. <i>l. 6. princ. b. t.</i> si scil. in bonis testatoris non est, unde promissa præstentur. <i>l. 9. b. t.</i>	

XXI. Sed



XXI.

Sed forsitan non incommodè quæri hîc posset, in rationem diversitatis, cur nimirum pollicitator pauper factus, datione quintæ partis patrimonij à pollicitatione liberetur. *l. 9. h. t. cùm tamen donator, in id quod facere potest, conveniatur. §. 38. Institut. de act.* Sed videtur mihi diversitatis rationem consistere in maxima illa æquitate, quia nimirum pollicitans citius & facilius se obstringit, quàm donator, æquissimum etiam est, eum non ita difficulter liberare se posse. Nam donatio fit pacto. *l. 35. §. 5. C. de donat.* aut etiam stipulatione. *l. 2. princ. §§. seqq. ff. de donat.* quæ requirunt duorum consensum & conventionem. *l. 3. h. t. l. 1. ff. de pact.* promissor autem quam primum ore profert pollicitationem, statim tenetur, *v. c.* Si Titius dicat, ego huic vel illi civitati, templum, quod militum incuria, vel dolo, ignis consumpsit, reedificabo, certè eo momento tenebitur, etsi civitas illa consensum suum per Syndicum vel Actorem nondum adhibuerit per *l. 3. princ.* nec revocare potest istam suam voluntatem, *d. l. 3. §. 1.* Donatoris autem voluntas ambulatoria est, usque dum, donec donatarij consensus accessit. Nam si *e. g.* Titius dixerit, Mævio dono centum, & priusquam consenserit, neget Titius se Mævio donaturum, eumque poeniteat, foret liberatus. *arg. d. l. 3. pr. h. t. l. 1. ff. de pact.*

XXII.

Pertinet etiam ad Effectum, quòd si quis opus aliquod extruere pollicitus sit, non possit cogi pro eo pecunias inferre. *l. 13. pr. h. t.* Definiri ex hactenus dictis actio de pollicitationibus facilè potest, quod nimirum sit condictio ex lege, seu titulo de pollicitationibus quæ datur Reip., vel civitati, adversus pollicitantem, ejusque hæredem, ad persequendum id, quod promissum est, in solidum, tantùm de Effectibus.

Antequam ad Affinia progredimur, dispiciendum nobis est, quod nam forum sortiatur pollicitator, id sed nimis obscurè indicat Ulpianus in *l. 8. h. t.* ubi cognitionem de pollicitationibus judicum esse perhibet: qui verò, & quales sint judices isti, non apparere, ait Colleg. *Argent. thes. 7. num. 1.* Nos cum Bachov. in not. ad *Wesembec. h. tit.* dicimus, verbum *judicum* generalius hîc usurpari, nec intelligendos esse judices pedaneos, sed Magistratum jurisdictionem



nem habentem, quod etiam Wesenbecius ipse innuere videtur, dum sic ait: *in princ. π. ff. h. t. de pollicitationibus quoque extra ordinem jus dici*, quia ordinariè jus dici solet, quando per iudices pedaneos causa cognoscitur: Extra ordinem verò cum magistratus ipse causam cognoscendam suscipit, quod jure Digestorum non, nisi casibus, legibus expressis, contingere consuevit, de quibus *vid. l. 70. ff. de Regul. Jur. l. 1. & ult. ff. de offic. eius cui mandat. est Jurisdic. nec in jure novum est, magistratum ipsum iudicis vocabulo denotari. vid. l. ult. in princ. C. ubi & apud quem cognit. in integr. restit. ag. sit. l. pen. l. de jud.* Nunc de Affinibus.

XXIII.

Adeo verò affinis est pollicitationi donatio, ut etiam hoc titulo promiscuè accipiantur. *l. 4. h. t.* Differunt tamen inter se 1. Ratione causæ Efficientis, perficitur enim donatio pacto, & stipulatione *l. 35. §. 5. Cod. de donat. l. 2. princ. cum §§. seqq. ff. de donat.* Pollicitatio autem nudâ & solâ pollicitantis oblatione. *l. 3. princ. h. tit.* 2. Ratione materiæ subjectivæ: quia donari non tantum Reipublicæ potest, sed cuilibet etiam privato, ut *ex t. tit. ff. & C. de donat.* videre licet: Pollicitatur verò tantum DEO, vel Reipublicæ, per superius tradita. 3. Ratione formæ, potest enim donatio fieri etiam per absentem. *l. 13. C. de donat.* Pollicitatio non nisi per præsentem. *l. 5. h. t.* Promissionis quoque vocabulum pro pollicitatione sæpius usurpatur, quod tamen propriè acceptum, non minus differt quàm ipsa donatio, quia promissio stipulanti, vel roganti. *§. 1. Institut. de Verb. Obligat.* pollicitatio verò ultrò fit, ut etiam hîc differentia in forma posita sit. Legato etiam non exigua est affinitas cum pollicitatione, de quo *l. 13. §. 1. h. t.* quia illud etiam est donatio quædam, *§. 1. Instit. de legat.* Item cum Pacto affinitatem quandâ habet pollicitatio, qua de causa, ne ejus species esse videatur, præcipuam horum differentiam nobis ostendit *Vlpia. l. 3. h. t.* De Affinibus satis ultimum sibi vindicant locum contraria.

Contrariorum præcipua sunt 1. Quando pollicitatio fit privato. *argum. tot. tit. & per suprathes.* 4. rationem adductam. 2. Quando quis vi coactus aliquid promisit, efficax non est illa pollicitatio. *l. 6. §. ult. h. t.* 3. Si pollicitatio fit sine causa, itidem invalida erit. *l. 1. §. 1. h. t.*

Quia

Quia admodum brevis fui, in methodo Synthetica, idq; tùm ob alias causas, tùm maximè ob librorum inopiam (ad disputationem enim conscribendam, quæ hodie integri tractatus esse solent, non unus aut alter author, sed integra bibliotheca requiritur) quos commodo precari, & danti, & accipienti, molestiam parit: Idè eidem indicem analyticum, exemplo Coryphæi nostri, *Amplissimi, & Consultissimi Viri, Dn. D. Taboris, Vniversitatis nunc Rectoris dignissimi, & ad pleniorè rei intellectum, adiiciemus.* Et quidem

L. Si pollicitus 1. potissimum de Effectu agit, nimirum in pollicitationem non venire regulariter usuras. quam explicatam vide thes. 19. th. 3. 6. 11. 17. Ad L. 1.

§. Non semper autem 1. loquitur de forma, quòd scil. non sufficiat promississe, nisi illud ob causam, v. c. honorem vel aliam aliquam causam fuerit factum, de quo v. th. 12. th. 24.

§. Idem si sine causa 2. est exceptio à §. 1. Ubi tanquam pro regula traditur, pollicitationem fieri non posse sine causa, subjicitur jam hîc exceptio, nisi opus promissum cœptum fuerit. v. th. 13.

§. 1. Explicat paragraphum secundum, quando nimirum cœptum opus censeatur, & continet tres ampliaciones, nempe 1. non tantum cœpisse quem videri, si fundamenta jecit, sed etiam 2. quando locum istum purgavit & impedimenta removit: Non tantum hoc, sed et si 3. locus illi petenti destinatus est, ubi opus promissum extrueret, cœpisse putatur: quin imò si 4. apparatus (quo verbo comprehenduntur omnia ad ædificandum vel edendum munus pertinentia) quis, si ve impensas, ad opus sc. vel munus constitutas, in pulico posuit, cœpisse censetur. Quid verò sit in pulico apponere, quæri posset? Et videtur aliud hîc esse apparatus, & item aliud impensam, in pulico ponere: illud nobis nihil aliud est, quàm, tignum, (quod verbum quàm latè accipiatur, tradit cum honoris præfatione sæpius laudatus *Magnificus Dominus Doct. Tabor def. Crimin. Racemat. 6. thes. 2.*) si scil. opus promissum sit, eo loci ponere, qui ad extruendum assignatus est, vel si munus pollicitum est, eum in locum ad spectaculi editionem facientia, comportare, in quo fieri assolent: Hoc verò: pecuniam ad opus faciendum, aut edendum munus promissam, apud magistrarum deponere. vid. etiam th. 13.



§. *Sed si non ipse* 4. habet ampliationem quartam, quod nempe cœpisse dicatur pollicitator eo in casu quoque, quando non ipse sed Respublica, cui donatum est, contemplatione pecuniæ promissæ opus facere incepit. *vid. thes. 13. fac. l. II. h. t.*

§. *Denique* 5. confirmat regulam paragrapho 1. propositam, nempe pollicitationem fieri non posse sine causa, ubi etiam monendum, quod pro verbo *Citiensibus*, quæ lectio Florentinæ est, vulgata habeat *Circensibus*, unde Alciatus id referre tentavit, ad columnas, quibus exornatus est Circus Maximus, reprehensus in hoc, ab aliâs magno ejus æstimatore Cujacio, qui Florentinam probat lectionem, & columnas promissas Citiensium Reipublicæ, quam civitatem Macedoniæ fuisse, autoritate Livij, asserit 3. *observat. 38. allegatus à Gothofred. hinc lit. y.* Ampliatur etiam ulterius §. 3. cœpisse scilicet etiam pollicitatorem æstimari, si sumptibus Civitatis. vel privatorum, opus inchoatum fuerit. *vid. thes. 13. 12. 12. 17.*

§. *Si quis, ult.* agit de Effectu operis, non cœpti, sed jam perfecti, absoluti, & traditi, quod verbo assignationis significari *thes. 23. diximus. v. & th 17.*

Ad L. 2. L. *Si quis rem aliquam* 2. ostendit nobis effectum voti, & per id non obligari rem ipsam, sed personam, nec ejusdem solutione sacram fieri. Res sacra enim efficitur quando ritè per Pontificem DEO consecratur, ut dicitur §. 8. 1. *de R. D. v. th. 17. th. 2.*

§. *Voto autem* 1. Materiam subjectivam exhibet, qui sc. pollicitari vel votare queant, vel non. *de quo th. 8. 6. 19.*

Ad L. 3. §. 2. Itidem de Effectu agit ad quem. *vid. thes. 17. 19. §. 2. h. t.*
L. 3. tradit differentiam pacti, & pollicitationis, idem innuit fortius esse obligatum eum, qui ob honorem, quàm qui ob aliam aliquam causam promittit: forsan ex ea ratione, quia talis pollicitatio Jure Civili toleratur magis, quàm approbatur. Sunt enim in Jure nostro, quæ permittuntur quidem, minimè verò approbantur, exemplo esse potest concubinatus, cujus, cur Jure Civili sit extra pœnam & infamiam, rationem vide apud *Wesenb. π. ff. de Concubin. n. 2. vid. th. 23. 3. 4. 5. 12. 20. 21. 13.*

§. *Si quis* 1. loquitur de Effectu, de quo *th. 17. 7. 8.*

Ad L. 4. L. *Propter incendium* 4. Comprehendit præter honorem alias causas impulsivas, ubi observa vocabulum *ruina* generis loco poni,

poni, & pro quavis pernicie, seu calamitate accipi, *verbi causa*, incendio, terræ motu, quæ tanquam species illi præponuntur, idemque est, ac si Jurisconsultus Marcianus dicere voluisset. Propter incendium, terræ motum, vel aliam aliquam ruinam. Et quòd Marcianus hîc ruinam vocat, idem Paulus *l. 7.* Casum nuncupat, nam terræ motus, & incendia quoque casu contingunt, et si hæc plerumque causa aliqua præcedat. *per l. 11. ff. de pericul. & Commod. rei vind. l. 25. §. 9. Ad L. Æquil. l. 3. §. 1. de off. Prefect. vigil.*

L. Charidemo respondit §. ad formam pertinet, & per absentem pollicitationem fieri posse, negatur. de qua quæstione. *vide thes. 12. 16.* Ad L. 5.

L. 6. proponitur regula generalis: toties locum habere pollicitationis deminutionem, in hærede, quoties non ob honorem facta. *vid. th. 20. 17. 2.* Ad L. 6.

Ad §. Si quis 1. Idem, quod supra *§. 3. l. 1.* dictum de promisso opere sine causa, hîc dicitur de promissa pecunia, quòd quam primum quis cœperit solvere, promissum integrè præstare teneatur. Sed obijcies, hoc casu maximè ob causam promissum, cum pollicitatio ob honorem facta sit, Resp. est *in l. 11. h. tit.* factam scil. esse pollicitationem ob causam, nempe honorem, sed eam non fuisse secutam, nec pollicitantem honorem illum iniisse, quòd idem importat, ac si sine causa fuisset facta. *d. l. 11. & nisi cœpisset solvere, omninò non teneretur. arg. h. §. v. th. 11. 13.*

§. Non tantum 2. est de materia subjectiva, & quòd quilibet, non habita sexus ratione pollicitari possit, de quo *th. 8.*

§. 3. Qui explicatur *thes. 12.* loquitur de forma, nimirum pollicitationem esse spontaneam debere, ad quem *v. th. 3.*

Ad L. Ob casum 7. Quid hîc casus vocabulo denotetur videre *Ad L. 7.* licet *ex l. 4.* ubi ejus exempla referuntur. *vid. etiam th. 12.*

Ad L. 8. quæ agit de foro competenti. *vide thes. 2. 3. 12. 13. 17.* Ad L. 8.
18. & 22. continet autem rescriptum Divorum fratrum, qui illi fuerint, exprimitur in *l. 9.* sequenti, Severus nimirum & Antoninus, rescripserunt verò Flavio Celsò tali de casu eos consulenti. Stadius Rufinus opus proscænij (quale illud fuerit, indicat *Gothofred. in not. h. r. lit. d.* locus scil. ante scænam porrectus, in quo pulpitum erat, ludis exercendis accommodatum. *v. etiam Lex. Calv. ad hoc verbum*) Gabinis exstructurum promisit, quæritur an id perficere

21
cere cogendus sit. Rationes dubitandi proponuntur duæ 1. taci-
tè, & quòd promissio facta sine causa, atqui qui sine causa pollici-
tatur, non obligatur, per l. 1. §. 1. h. t. 2. Expressè, quia in triennio
relegatus est à Præfecto Urbis, justam ergò habuit causam excusan-
di se ab opere extruendo, absentiam nimirum necessariam. Ad 1.
Resp. quòd etiamsi verum sit, sine causa pollicitantem, non obli-
gari, quia tamen opus facere cœperit, & id aggressus sit, perficere
necesse habeat per §. 2. d. l. 1. Ad 2. respond, Illam excusationis
causam non esse sufficientem, cùm necessarium non sit, ut quis
præsens opus extruat, sed per amicum etiam absens peragere pos-
sit. Rescripserunt ergò Impp. Probè facturum Statium Rufinum
si opus proscœnij, quod se Gabinis extructurum promisit, perficiat,
& gratiam muneris quod spontè (aliud si necessitas ipsi fuisset im-
posita per §. ult. l. 6. h. t.) obtulerit minuere non debere. Duplex
etiam remedium rescripto contra detrectantem adjecerunt, actio-
nis scil. de pollicitat. vid. thes. 18 quâ coram iudicibus experiri pos-
sunt (quo vocabulo qui intelligantur, dixi thes. 22.) Et prohibi-
tionis distrahendi fundi, quem in territorio Gahinorum prædictus
Rufinus possedit.

Observandus etiam est modus loquendi singularis, ibi *in
triennio relegatus*, nec enim ut primâ textus inspectione videtur,
legendum *triennium*, & existimandum typographi incuria lite-
ram *m.* omissam, nam reperiuntur leges ubi eadem dicendi forma
observatur. ut in possessione mitti l. 13. ut in possess. legat. in ho-
stium potestate pervenire. l. 12. ff. qui testam. fac. in carcere recipi,
l. 6. §. 7. ff. de in vet. rupt. Committere in actione, l. 65. §. 5. ff. pro
soc. Similes sunt, l. 34. §. 3. ff. de legat. 2. l. 32. ff. de liberal. caus.
quas omnes collegit Barnab. Brisson. παρὰ τὴν ἀρίστην libro singulari p. m. 401.

Sed cur h. l. Præfecto Urbis relegandi potestas tribuitur, cùm
Præses, (qui tamen omnibus post Principem majorem potestatem
habere in provincia sua dicitur l. 4. ff. de off. Præsid. Et de omnibus
causis, de quibus vel Præfectus Urbi, vel Prætorio, itemq; Consules
ac Prætores, ceteriq; qui Romæ cognoscunt, Rectorū & Præsidum
Provinciarum notio sit, omniumque Romæ magistratuum vice
& officio fungantur, l. 10. cum seq. eod.) eâdem careat Rationem
hujus meminisse dedisse, Amplissimum & Consultimum Dn. Doct.
Biccium, in Collegio privato nuper apud eum habito, ne scil. in
unam



unam Insulam plures una relegentur aut deportentur, & ita periculum sit ab eis vi occupari illam, idè sine rescripto, quo assignabatur Insula, in quam mittere maleficos debebant, Præsides Provinciarum deportare non potuisse: quale rescriptum Præfectus Urbis expectare necesse non habebat, quia quotidie Imperatoris in eadem urbe residentis copiam habere potuit, & ab eo quærere, in quam Insulam deportaret, *fac. l. 1. §. 3. & 4. de legat. 3.*

Ad L. Ex pollicitatione 9. vid. th. 2. 5. 12. 19. 23. quæ comprehendit iterum duas constitutiones, quarum primæ authores idem sunt, qui antecedentis, agit verò utraque de effectu obligationis respectu pollicitantis & ejus hæredis, utuntur autem Imperatores distinctione tradita, *l. 6. pr. h. t.* pollicitatione scilicet facta ob honorem, in solidum teneri & promissorem & hæredem: Ob id verò quòd opus promissum cœptum est, personarum habeatur ratio, secundùm dicta *in th. 20. & tabella eidem adiecta.*

Ad L. Septicia 10. vid. th. 14. 15. 11. 12. pertinet autem ad Formam Accidentalem, & notandum vocabulum agonis Græcum idem esse, quod certamen, & agonem quadriennale, certamen quod quarto quoque anno instauratur, *v. Gothofred. in not. hinc lit. o. Decemprimi* quorum hinc etiam fit mentio, qui *l. 3. §. 10. de munerib. & honor.* decaproti dicuntur, & eorum officium decaprotia, *l. ult. §. 26. d. t.* decem primatus *l. 1. §. eod.* erant decemviri ex decurionum ordine constituti, qui tributorum exactiōi ita præerant, ut si qua detrimenta fiscus defunctorum culpa contraheret, ipsi suis sumptibus resarcirent. *Thimelicorum* nomine quod vocabulum hinc etiam occurrit, intelliguntur *lulij, mimi, citaradi, tibicines, citaristæ, lyristæ,* & qui sunt in eodem genere, sic dicti, quod olim in orchestra stantes canebant super pulpitem, quod *ἄπειρον* vocabatur: eorum etiam fit mentio, *l. 4. ff. de his qui not. in vsm.* Vox *Curia* accipienda pro toto decurionum collegio, quemadmodum *l. 3. ff. quod cuiusq. Vniversitat. sumitur.*

Ad L. 11. vid. th. 20. 16. distinguit autem an quis ante initum magistratum decesserit, nec ne, secundum quam distinctionem intelligendæ etiam sunt, *l. 6. pr. l. 3. pr. l. 9. h. t.*

Ad L. In privatis operibus 12. Principium hujus legis in tractando hoc pollicitationum themate, non nisi ad materiam referre scirem,

C

scirem, statuas nimirum etiam pollicitari posse. Sensus ejus mihi videtur, statuas qui fecerunt, alteri invito ponere, in ejusdemque honorem erigere non posse, quod aded verum est, ut ne alteri volenti, nisi ex Principis permisso, statuas ponere liceat *per l. unic. C. de stat. & imag.*

Ad §. 1. vid. th. 15. proponitur autem casus, quo pollicitatio facta ne honoribus quis fungeretur, cum verò Modestini sententia paulò obscurius referatur, etiam Doctorum inde diversa opinio nata. Gothofredus enim *in not. ad h. §.* putat, præponendam particulam *quàm*, vocem *potius*, ut sensus sit, eum honorem potius subire cogendum, quàm ad operis instructionem, & ita perficere opus omnino non teneatur. Glossa verò vult quòd ipsi & honor injungendus sit, & ad opus perficiendum compellendus, & ita particula *tam* vocalam *quàm* adjicienda sit, ejusque sensus hìc eum tam honores subire cogendum, quàm ad operis extructionem, quòd mihi etiam magis arridet, quàm pœnà meritò afficitur pollicitator, quia grave delictum est, munus detrectare *per l. 4. §. 10. de re milit.*

Ad L. 13. *Ad L. 13. vid. th. 22.* quemadmodum autem Creditores, à debitoribus, aliud pro alio accipere non compelluntur. *l. 2. §. 1. l. 3. ff. de Reb. cred.* ita multò minùs à debitore aliud, quàm ad quod dandum se obligavit, peti potest, *in §. 1. d. t.* maximè si debitum ex mera causa lucrativa descendit, qui debitores cæteris longè sunt favorabiliores *argum. l. 18. §. fin. de donat. l. 12. 33. pr. eod.* Unde Imperatores Antoninus & Verus Augusti rescripserunt, eos qui opera extruere promiserunt, pecuniam pro his inferre non cogi.

Ad L. 13. *Ad §. Idem rescripserunt 1. vid. th. 15. 23. II. 2. 8. 9.* Ut in cæteris ffortorum tit. contingit, quod leges aliquando intermiscantur, quæ cum Rubrica non correspondent, quas fugitivas appellant. idem in nostro tit. accidit, nam ut sup. *ad l. 12.* indicavi, eum ad hanc nostram materiam non pertinere, idem de hoc §. asserere possumus, quia de legato, non de pollicitationibus loquitur, quamvis inibi de legato dicta, ad pollicitationes applicari posse facillè largiamur.

Ad L. 14. *Ad L. 14. vid. th.* Est autem ferè repetitio ejus, quod jam supra *l. 6.* relatum, in legis verbis prioribus: Posteriora accipienda secundum distinctionem, quæ habetur *in l. 11. vid. et. th. 5. 6. 11. 12. 13.*

Ad L. 15. *Ad L. 15. vid. thes. 20.* & est ampliatio legis antecedentis, quoad hæredes, qui ex numero liberorum sunt.

Cum

Cum in magnis etiam voluisse laudem mereatur,
hoc tentamine contentus, iisdem auspiciis, quibus ini-
tium feci, concludo. DEO OPT. MAX. sit laus, gloria,
& honor in omne ævum.

Clarissimo

DN. CANDIDATO,
olim Convictori mihi
dilectissimo.

Tandem ergo, ut referas varii CASPARE laboris
Mercedem, hæc artis das documenta tue
Successus grator faustos, applaudo tiara,
Quam studiis partam, mox dabit alma themis.

Testandi officij ergò scrib.

Johannes Schmidt, SS, Th. D.
Prof. Ordin. & Conventus Eccle-
siast. Præses.

CL. DN. CANDIDATO
S. P. P.

Quam polliceare DEO, CASPARE, bonoque
Communi, quantum polliceare tuis,
Eximium Specimen, tua POLLICITATIO monstrat,
Præmia nam tibi quæ polliceatur habet;
Præmia, quanta queunt Academica pulpita ferre;
Præmia mansuris multum adoperta bonis.
Plura dabit Respublica, plura Deusque, tuique,
Si pergas. Sanctè quod tibi polliceor.
POLLICITATIO, quæ Jovæ bene præstita, summas
Numinis immensi pollicitatur opes.

Amici affectus Mnemosynon

Scr. Joh. Georg. Norfcheus D.
Sufficiat

Sufficiat promissis tribus, quæ verso sub imo
pectore, CASPARIDÆ, candida vota, tibi.
Candida vota fero, DEUS hæc tua coepta secundet,
E cathedrâ ut possis victor abire domum!

Adproperabat

Gregorius Biccus, U. J. D.
Prof. Pandect. Ordin.

Aurum pollicitans, Aurum præstare tenetur,
Argentum, Argentum, munera sive alia.
Hinc Tibi, CASPARI, promisi ut carmen, id ecce,
Seu saltem versus, sint licet exigui,
Sed properante manu scribo, annectoque papyris,
Quas de POLLICITIS construis & publicas.
Doctore Nomen dum affectas, ambis & auferis,
Ut Tua jam dudum sedulitas meruit:
Promeruitque labor, studiosè præstitus usque huc,
Qui comites testes Sudor & Algor erant.
Ergò nunc tandem finito labore laborem,
Sis Athleta audax, vi cathedramque premas:
Ac de POLLICITIS discurrens Candide Mystra,
Cuius promittas plurima fausta, bona.
Promittas Patriæ dulci, præstes & Amicis,
Quæ de Te sperant, aspiciuntque oculis.

*Boni ominis precandi & Amicitie singu-
laris contestandi gratiâ F.*

Lazarus ab Heyden, Med. D.

Illorum jam certa fides, olim indole clara
Pollicitus fueras quæ patriæ, atque patri:
Solemni que, THEMIS, dum singula signat honore,
Cum sorte usuras te numerasse, probat.

Robertus Koenigsmannus.

Ad

Ad Clarissimum

DN. CANDIDATVM.

Quæ tua sint studia, ac quæ pollicearis AMICE,
Et patri & patriæ, hoc tua POLLICITATIO monstrat
Ac quas de hæc doctas proponis positiones.
Pergito ceu pergis Themidos pervolvere libros.
Sic tua, Polliceor, laudes nomenque manebunt.

Iohannes Grambs, MF.

Vra Tibi cura, Te curant Iura; mereris;
Tu benè, dant meritis præmia Iura Tuis.
POLLITICÆ leges cultoribus omnia, præstant
Omnia cultori quæ pepigere suo.
Non nisi magna queunt promittere numina nobis,
Nec promissa nisi solvere magna queunt,
Et promissa Tibi sunt magna, & magna soluta
Solvuntur studiis cottidieque Tuis.
His frueri. Ignorant infernas sidera noctes,
Ignorant humilem regna superna necem,
E cælo Themis est, hinc auguror esse perennem,
Nec sua funeribus pignora velle rapi.
Sceptra aliis, celebres aliis dent numina palmas,
Hæc bona dat vitam Diva, dat astra Tibi.


Jo. Albertus Portner.

F I N I S.

D.

Ad






R
NO
C
P
T
Ty




X 2615934

wort







23

Pr. 12 num. 2

24

1650, 6.

21

9.209

I. N. D. N. I. C.
DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA

De
**POLLICITATIO-
NIBUS.**

Quam
PRÆSIDE, ET AUXILIANTE,
MAJESTATE DIVINA.

Auctoritate, & Decreto
**MAGNIFICI, ET NOBILISSIMI,
RECTORUM, IN CLYTÆ HUIUS
ACADEMIÆ, COLLEGII:**

Pro Summis, in utroq; Jure, honoribus, & privilegiis
DOCTORALIBUS,
ritè, ac legitime consequendis,

Ventilandam, publicè, & solenniter proponit
Ad Diem 4 Mens. Januarij.

**CHRISTOPHORUS CASPARUS,
ESSLINGENSIS.**

o(s)o
ARGENTORATI,

Typis excudebat JOHANNES Pichel/ Typogr.

Anno M. DC. L.

